

Hermann Schuckmann Johannes Braw

Dissertatio Theologica Prima De Decalogo Priorem Tabulam continens

Rostochi[i]: Richelius, 1645


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738044253>

Druck Freier  Zugang



Kurt J. Braun

H. Schuckman
R. U. Theol. 1645.



60.

DISSERTATIO THEOLOGICA
Prima
DE
DECALOGO
Priorem Tabulam continens,

Quam
IN NOMINE JESU
Cum Consensu Venerabilis Facul: Theologicae
in Universitate Rostochiensis,

PRÆSIDE
M. HERMANNO SCHUCKMAN
Theologiae Professore.

d. 21. Junii horis matutinis publice in Auditorio Majori
defendendam suscipiet

JOHANNES BRAU
Nessa Frisius.

ROSTOCHI
Typis Johannis Richelii, Senat, Typogr, An: 1675

1645

00



246



In nomine Domini nostri
JESU CHRISTI.

Digna est Lex Dei nostri, ut sæpius à nobis repetatur. Quæ causa est, quamobrem Enarrationem **DECALOGI** ex Cap. V. Deuteronomii, publicis Lectionib⁹ jam antè propositâ, nunc breviter repetitam, ad pium Examen producimus.

Thesis I.

Fundamentum & epitome Legum omnium, quas **DEUS** mediante fœdere, populo suo dedit, sunt **DECEM VERBA**, evidenter à cœteris distincta per conclusionem *Deut. 1. v. 22.*

II.

Decem esse non plura nec pauciora, evincit expressa litera *Deut. 4. v. 13. C. 10. v. 4. Exod. 34. v. 28.* Numerus determinatus humanæ infirmitati succurrit.

III.

Dividitur Decalogus in duas Tabulas, sumptâ denominatione à duabus Tabulis Lapideis, in quibus tempore Veteris Testamenti digito ipsius Dei scriptus erat, *Exod. 31. vers. 18. sap 34. v. 1.*

IV.

Ratio divisionis consistit in duobus diversis objectis Deo & Homine. Hinc duo Mandata magna, à quibus tota Lex & propheta pendent, *Matth. 22. v. 40.*

V.

DEUS facit primum mandatum magnum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ:* Et hoc mandatum priorem Decalogi tabulam tribus præceptis absolvit.

A 2

VI. Homo

VI.

Homo facit secundum mandatum simile priori: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: Quo reliqua præcepta posterioris tabulæ summam comprehenduntur, *ad Rom. 13. v. 9.*

De Primo Præcepto.

VII.

PRIMUM præceptum est principium, ex quo fluunt, & in quo concurrunt cætera omnia. Qui enim solum verum Deum, & præter eum nihil habet pro Deo suo, non potest non simul voluntati divinæ totum se dare & contrà. Hinc ratio primi præcepti, quæ conjungit *diligentes Deum & observantes præcepta ejus*, ad universum Decalogum rectè extenditur.

VIII.

DEUTE-
RONOMII
cap. V.
Triain hoc præcepto consideranda sunt; Fundamentum, ipsa Propositio, cum exegeſi, & deniq; Argumentum seu Ratio movens.

IX.

Fundamentum est cognitio veri Dei, in verbis: **אנכי יהוה**; **אלהיך אשר הוצאתיך מארץ מצרים מכיר עבדים**;
Ego Dominus Deus tuus, qui exire te feci ex terrâ Egyptiorum, ex domo servorum.

X.

אנכי
Vox **אנכי** Ego demonstrat præcisè eum, qui facie ad faciem loquebatur cum toto populo Israel, *vide versu 4. & 22. hujus cap.* Facie ad faciem loqui est in præsentia loqui, quâ facies loquentis evidenter se vertit ad faciem audientis, conf. *Exod. 20. v. 19. 21.*

XI.

Hæc demonstrativa præsentia gignit argumentum fortissimum pro uno vero Deo **יהוה אלהים**.

XII.

יהוה
יהוה DOMINUS: est veri Dei proprium & essentialè nomen, quod nulli creaturæ comperit *Jesa. 42. v. 8.* Essentialiam enim notat, quæ simpliciter & à seipsâ talis est, transcendens omnem

maem temporis fluxum, quæq; sola rebus omnibus essentiam largitur.

XIII.

Vim & rationem tremendi hujus nominis expressit Deus Exod. 3. v. 14. in verbis **אני הוה** *Ero, qui ero*: id est, qui fui ab æterno, quiq; sum quod fui, idem ero in æternum, quod sum, quod fui.

XIV.

Hanc immutabilem essentiam nomine **αὐτοῦ** significatam, patefecit Deus filiis Israel per complementum immutabilis fœderis, quod pepigit cum patribus ipsorum Exod. 6. v. 2. seqq.

XV.

Hujus complementi veritatem explicat, vox **אלהים** addita nomini proprio & essentiali, sub hoc sensu: Ego **יהוה** qui Dominus sum antè omnia, in omnibus & super omnia, peculiari ratione Tuus Israel Deus sum factus.

אלהים

XVI.

Ratio consistit in opere redemptionis ex domo servorum. Domus servorum dicitur Terra Ægyptiorum, in quâ omnes certo respectu servi erant, tam Ægyptii, qui premebant, quàm Israelitæ, qui premebantur. Utroq; modo cognoscitur captivorum miseria & Redemptionis gloria, quod, sicut servire iis, qui ipsi peccatis serviunt, miserimum est, ita redimi è domo servorum & Deo servare gloriosa sit libertas.

מבית

עבדים

XVII.

Quamquam verò hæc dicta sunt ad populum Israel, qui præsens erat promulgationi Legis; rectè tamen extenduntur ad universam Ecclesiam Veteris & Novi Testamenti; cum familiare sit scripturæ sacræ, unum actum per alterius typum describere, & imprimis redemptionem ex regno Satanæ, per liberationem ex captivitate Ægyptiacâ vel Babylonicâ adumbrare.

XVIII.

Quicumq; ergò liberati sunt per Dominum Deum suum è domo servorum, ad eos omnes, secundum scripturæ analogiam, dirigitur præceptum primum cum sequentibus.

XIX. Po-

XIX.

Posito fundamento succedit ipsa *Propositio* in verbis: לא יהיה לך אלהים אחרים על פניו. *Non sit tibi quicquam Deorum aliorum super facies meas*: hoc est, Me habebis pro Deo tuo: Et quicquid non est facies mea, seu quicquid non est יהוה אלהיך Dominus Deus tuus, non sit etiam tibi Deus.

XX.

פני Facies Dei est ipse verus Deus, essentia unus, personis distinctus. Unitatem essentia designat affixum singulare respiciens vocem אנכי, de qua supra. Pluralitatem personarum, sicut in precedenti versu per plurale nomen אלהים sic & hoc loco פעלים indicari, pie statuimus.

XXI.

Similis Locus est Exod 33. v. 14. in verbis פני ילכו facies mea ibunt, id est, Ego ipse ibo, conf v. 16. Jam ipse unus verus Deus est pater, filius & Spiritus Sanctus, aequali honore colendus & adorandus.

XXII.

אחרים Faciebus Dei directo opponuntur אחרים Dii alii: Suntque omne illud, quod non est verus Deus. Ita sumitur vox אחר Jof. 47. v. 8. *Gloriam meam alii non dabo*, id est, nemini eam dabo, qui non est, quod ipse sum.

XXIII.

פ. 8. Distribuuntur Dii alii per Exegefin praecepti primi in idola seu imagines rerum, quae referuntur partim ad caelos, partim ad terram, partim ad aquas. Quae distributione omnes visibiles creaturae & quicquid in iis est, summam comprehenduntur.

XXIV.

פסוקי המוכתה *Imagines facere* ad idololatriam est explicante Paulo, ad Rom. 1. v. 23. gloriam incorruptibilis Dei mutare in similitudinem corruptibilis hominis & volucrum & quadrupedum & reptilium, adeoque servire rebus creatis creatore praeterito.

XXV.

Damnatur autem hoc ipso non ea tantum idololatria, quae in oculos incurrit, sed quaevis alia, quae pro Deo assumitur, quod Deus non

non est. Quo generali sensu imagines & sculptilia passim à prophētis accipiuntur.

XXVI.

Quicumq; ergò adorant sublimia in mundo, qui terrena sapiunt, & quorum Deus venter est, qui in fluxis bonis fiduciam ponunt &c. hi sunt, qui in cœlis, in terrâ, & in aquis idola quærunt, sicq; vanas imagines cordib; impressas, ut Deum venerantur.

XXVII.

Et hæc sunt אלהים אחרים, de quibus dicitur vers. 7. לא יהיה לך אלהים אחרים id est, nullus eorum tanti apud te valeat, ut elevare quemquam velis suprâ facies meas, & aliquid ei tribuas, quod soli vero Deo debetur, seu (quemadmodum explicat versus 9.) ut *incurverit eum & colas eos.* לך

XXVIII.

Incurvari Deo, est seipsum demittere, & ad magnificandum Deum cor, affectus, mores & gestus inclinare, conf. *Psal. 81. v. 11.* Quæ inclinatio timorem ac reverentiam inducit, *Deut. 6. v. 13.* *Matth. 4. v. 10.* השתחוה

XXIX.

Colere Deum est promptû & operosum esse in obsequio Dei, ejus honorem quærere, & animum obsequiosum ipso opere demonstrare *Deut. 13. v. 4.* ubi colere Deum, adhærere Deo, audire vocem ejus, timere ipsum, &c. individuo nexu conjunguntur.

XXX.

Quicumq; igitur extrâ Deum aliquid amat, timet, honorat tanquam Deum, is ponit super facies Dei veri, quod non est Deus, & ipsum verum Deum in se deprimat, adeoq; contrâ præceptum primum idololatra est.

XXXI.

Argumentum, quod robur huic præcepto addit, tale subiungitur. Habes Israel, in me Domino Deo tuo, & justum Vincem & patrem misericordem: *illum* quidem, si alios Deos colas: *hunc* verò, si me solum adorabis. Utrum eligas vide.

XXXII.

Duo hic dicuntur de Deo, quæ pro modo concipiendi nostro

frō contraria videntur (quamquam in Ente simplicissimo con-
traria non sunt) Ira & misericordia.

XXXIII.

אל קנא

Utriusq; respectu vocatur, יהוה Deus noster אל קנא fortis
Zelotes, qui Zelum ostendit pro amantibus se contra ofores. Ita
sumitur verbum אל קנא Ezech. 39, v. 25. Zach. 1. v. 14. cap. 8. v. 2,
conf. Jes. 9 v. 6. Fortis dicitur, quia voluntati ipsius vires non
desunt; quid enim vires deessent, cum omnibus rebus ipse essen-
tiam & vires impertiat?

XXXIV.

Zelus contrā ofores est justa indignatio Dei ob læsum amo-
rem, cum ipsi, qui totus quantus quantus charitas est, alii in amore
preferuntur conf. Exod. 34. v. 14. Deut. 4. v. 24.

XXXV.

פקד עון

Demonstratio Zeli consistit in visitatione iniquitatis. Vi-
sitare iniquitatem est hominem peccatorem in rigorem iudicii
vocare, & iudicatum maledictioni relinquere Jes. 26. v. 21.

XXXVI.

אבות
בנים

Objectum visitationis sunt parentes cum liberis usq; ad
quartam generationem. Argumentum ergō tam parentes quam
liberos afficit Jer. 32. v. 18. Parentes quidem, ne filiis suis male-
dictionem contrahant, quæ in caput parentum redundat. Libe-
ros verò ne consortes delictorum patrum, pœnarum quoq;
participes fiant Matth. 23. v. 35. Sicut enim unio est inter pios
ad salutem, sic & inter impios unio datur ad maledictionem.

XXXVII.

לשנאי

Causa visitationis hujus divinæ est odium contrā Deum.
Visitabo, inquit Deus, iniquitatem patrum super filios, in iis, qui odio
me habent. Quod ad utrosq; tam parentes quam liberos refertur.

XXXVIII.

Liberi enim, etsi quandoq; ob delicta parentum corporales
afflictiones patiuntur, animæ tamen maledictionem sustinere ne-
queunt, nisi & ipsi Deum oderint Ezech. 18.

XXXIX.

Odisse Deum est amorem Deo debitum in alios transferre,
& sic

& sic verum Deum iis postponere qui Deus non sunt, conf. Deut. 7. v. 10. cum antecod.

XL.

Odio opponitur amor. *Amare* itaq; Deum est toto corde, totâ animâ, totâ mente Deum complecti, eumq; omnibus creaturis præferre Deut. 6. v. 5, v. 10.
לאהבתי

XLI.

Cum amore Dei necessariò cohæret observatio præceptorum ejus conf. Joh. 14. v. 23. & 24. qui diligit me sermonem meum servabit., לשמרי
מצותי

XLII.

Et huc pertinet alterum oppositorum nempe misericordia Dei. *Misericordiam* facit Deus, cum ostendit divitias bonitatis suæ, & ex amore agit, quicquid cum piis agit, usq; adeò ut omnes viæ Domini nihil aliud sint, quam misericordia & veritas Ps. 25. חסד

XLIII.

Misericordia excludit debitum: quandocunq; igitur benefacit Deus amantibus se, benefacit non ex merito, sed ex solò paternæ voluntatis beneplacito; Cum amor noster, quem Deo ob prævenientem amorem jam antè debemus, nihil mereri possit.

XLIV.

Extenditur *misericordia* hæc ad mille generationes conf. Deut. 7. v. 9. cum *visitatio iniquitatis* ad quartam duntaxat restringatur, idq; in exuberantis charitatis testimonium, quæ observacionem præcepti primi & reliquorum omnium quam maximè commendat., לארפם

De Secundo Præcepto?

XLV.

Præceptum Secundum immediatè fluit ex primo; quia amor solius veri Dei non patitur nomen ejus in vanum assumi. v. 15,

XLVI.

Nomen Dei in eminentissimo significato est ipse filius Dei, Exod. 33. v. 17, 19. Ps. 25. v. 11. Jes. 30. v. 27. cui Deus pater per æternam שם
B ternam

ternam generationem omnem divinam gloriam communica-
vit., Ebr. 1.

XLVII.

In genere verò significatur Nomine Domini, divina excel-
lencia, gloria & majestas, in verbo patefacta, Quomodo Nomen
& gloria Dei æque latè patent, Psal, 48 v. 11.

XLVIII

Quicquid itaq; v. g. de sapientiâ, omnipotentiâ, justitiâ, ve-
ritate, misericordiâ, beatitudine Dei nostri testatur, nomen ejus
est, Psal. 145. v. 1. Pl. 148. v. 5. &c.

XLIX.

ניו

In Vanum assumere hoc nomen, est applicare illud ad pec-
cata, ut ità vanitas sit omne illud, quicquid deprimit gloriam Do-
mini.

L.

Quot modis id fiat, veluti perjurio Lev. 19. v. 12. Blasphe-
mia & temerariâ nominis divini usurpatione Lev. 24. v. 11. Dia-
bolicis operibus Lev. 20. v. 3, &c. instituti nostri non est, spe-
cialius hoc loco deducere.

LI.

Generalem sententiam hanc ponimus. Quicumq; efficit
sivè verbis, sivè operibus, ut blasphemetur nomen sanctitatis di-
vinæ, ad Rom. 2. v. 24. ut gloria & majestas Dei vilescat, utq; ver-
bum ejus pro vanitate habeatur; secundi præcepti transgressor
est.

LII.

Prophanationi opponitur *sanctificatio*, quâ Nomen Dei, ab
omni vanitate separatum corde, linguâ & opere ipso magnifica-
tur Matth. 6, 9.

LIII.

ינקח

Argumentum, quod robur huic præcepto conciliat, tale
est. Non pronuntiabit Dominus à peccato & stipendio peccati
immunem eum, qui nomen ipsius in vanum assumit; Id enim si
faceret, suam ipsius gloriam & sic seipsum negaret, quod impos-
sibile.

De

De Tertio Præcepto

LIV.

Tertium præceptum cohaeret cum Secundo, ostenditq; certum medium ad sanctificandum nomen Domini in observatione Sabbathi.

LV.

Propositio ejusemphatica est; non enim simpliciter dicitur Sabbathum sanctifica. Sed Custodi vel (ut in Exodo legitur) Recordare diem Sabbathi ad sanctificandum illum, secundum quod præcipit tibi Dominus Deus tuus, id est, sit tibi dies iste commendatissimus.

7. 12.

LVI.

Dies dicitur; Non ergo particula diei sed integer dies sanctificandus. Dicitur יום השבת Dies quietû, quia cessare facit hominem vi primæ institutionis divinæ ab omni opere servili, propterea quod Deus quievit die septimo ab omni opere creationis, Gen. 2. 2. 3.

יום
השבת

LVII.

Sanctificare seu ut habet v. 15. facere Diem Sabbathi est separare eum ab usu communi ad finem peculiarem, v. 14. hoc est, ut Deus in homine quietem inveniat, quæ in solo pietatis exercitio consistit & labores prophanos excludit. Quoad posterius quiescere debet homo, quoad prius non item.

קדש
עשות
שבת
ליהרה

LVIII.

Fundamentum sanctificationis est præceptum Domini יום השבת אשר צוה יהוה אלהיך, quod duo involvit, causam impulsivam & normam agendi. Hinc regulæ duæ 1. Sanctificatio Sabbathi non est libertatis nec in hominis arbitrio posita, sed necessitatis. 2. Modus ejusdem æstimandus est; non ex opinione hominum sed voluntate Dei.

כאשר
צוה

LIX.

Propositionem sequitur Exegetis, quæ explicatur objectum

B 2

cum

cum fundamento. Objectum est dies septimus separatus à sextiduo per quietem peculiarem.

LX.

v. 13.
מלאכה

Sextiduo tribuuntur labores vocationis, ad exemplum Dei, qui omne opus suum sex dierum spacio absolvit Gen. 1. & 2, Exod. 31. v. 17. Quo ipso laborum sextidui, necessitas præcipitur.

LXI.

v. 14.
אחרון
גרך

Quies diei septimi refertur ad Patrem familias tanquam caput, & ad omnia simul, quæ à regimine patris & matris familias pendent, peregrino, qui in portis Israel habitabat; seu cum aliunde advenisset, inter Judæos vivebat, & ipsorum Jurisdictioni suberat, non excluso.

LXII.

Hinc regula; Æquè violat Sabbathum, qui aliis isto die extra pietatis opera labores imperat, quàm qui ipse laborat.

LXIII.

כתמתך

Brutis tribuitur quies non tam ipsorum, quam hominis causâ, propter quem creata sunt omnia, ut homo quiescat propter Deum, & in Deo quietem inveniat.

LXIV.

עבדך
ואמתך

Servus & ancilla in eodem v. 14. repetita, otiosam τωθελασγίας non inducunt, cum dari possit evidens repetitionis ratio.

LXV.

v. 15.

Fundamentum præcepti tertii idem est quod primi, nempe opus redemptionis ex Ægypto, cui pro sanctificatione Sabbathi duo insunt, Principium & finis.

LXVI.

ארץ
מצרים

Principium peculiare, ob quod Deus præceptum de quiete diei septimi populo suo dare voluit, est gloriosa liberatio ex miserrâ servitute, sub hoc sensu: Quod præstare non potuisti *servus* in Ægypto, ubi nullo die ab opere servili respirare tibi licuit Exod. 5. v. 19. Id jam *liber* præsta Domino Deo tuo, qui eduxit te è domo servorum non languidâ sed *forti manu*, non contracto sed *extenso* brachio,

brachio. non absconditâ sed publicâ eâq; magnificâ virtute. Et hunc scopum ipse Deus intendit in legatione ad Pharaonem, Exod. 5. v. 1. cap. 7. v. 16. Dimitte populum meum ut serviat mihi.

LXVII.

Principium hoc sicut in specie patresfamilias movet, ne servis suis quietem invident, qui ipsi nôrunt servilis jugi conditionem; itâ in genere totum populum Israel concernit.

LXVIII.

De applicatione ad universalem Ecclesiam tam Vet. quam N. T. idem tenendum, quod supra est expositum th. 17. & 18. de analogiâ inter redemptionem ex captivitate Pharaonis, & eam, quâ per Christum facta est, ex servitute Satana.

LXIX.

Quo principio posito Præceptum tertium maximâ cum Emphasi unumquemq; Christianorum obstringit, non obstante, quod nobis sacer sit non Ultimus, respectum habens ad initium creationis, sed Primus dies septimanæ: uterq; enim septimus est ratione sextidui, uterq; יום השבת dies quietis.

LXX.

Causa autem translati diei ultimi in primum diem, qui dies Dominicus vocatur, Apoc. 1. v. 10. est Resurrectio Christi à mortuis, facta primo die τῆς μιᾶς ἡμέρας ἑβδόμης, Luc. 24. vers. 1. Joh. 20. v. 1. Matth. 28. v. 1.

LXXI.

Hunc ergo diem (quo quievit Dominus ab opere novæ creationis, quæ sine doloribus morte & sanguine Dei fieri non potuit, quoq; excitatus à mortuis, eduxit genus humanum ex captivitate inferni, quæ servitute Ægyptiacâ longè major est) merito Ecclesia N. T. ob dictam analogiam pro Sabbatho observat.

LXXII.

Finis sanctificandi Sabbathi, ut & modus sanctificationis est recordatio præteritæ servitutis & præsentis libertatis, seu agnitio humanæ miseriæ & celebratio divinæ misericordiæ.

Soli Deo Gloria.

In Disput: de Decalogo.

Discimus ergo Dei præcepta sacrata Magistri,
Ut sinat esse feros! Sed tua mens alia.

JOACHIMUS Lüttemann/
Ecclef. & Prof.

Incede BRAUWI tramite, quem Tibi
Pf. 119. Lex diva pandit, Sic juvenis viam
v. 9. Calcat decenter. Consequèris
Dante DEO atq; die corollam.

L. M. Q.

Voveb.

M. JOHANNES CORFINIUS.

Contra naturam qui præcipit esse tyrannum
Quidquam, doctiloqui statuit doctrina Platonis;
Hinc aliquis tali posset concludere formâ;
Contra naturam quæ sunt lex mandat Iovæ.
Ergo quis est noster durus nisi Jova tyrannus?
Absit, non est talis pater est sed pectore clemens;
Quippe voluntati quæ sunt conformia justæ
Præcipit, & primum tantâ donavit Adamum
Justitiâ, posset facili servare labore
Omnia quæ sacræ præceperat ordine legis;
Jam vero quod non potes, est perversa voluntas
Legem servare, hæc minimè tribuenda Jehovæ

Culpa

Culpa est. Sed nobis ipsis Sathanæq; furori
Qui nos à summo per Adami crimina Jova
Avertit, foedè & naturam perdidit omnem,
Ah dolor ah, ut jam cogamur dicere cuncti:
Nitimur in vetitum semper cupimusq; negata.
Hoc ipsum BRAVI, quod dico carmine, Amice
Tu docto nobis confirmas themate, docto
Immo non solum confirmas themate verum,
Aggredièrè brevi doctâ defendere linguâ:
Scilicet hoc fiet læto cum fronte Cathedram
Scandes, & nixus, pia prælia Præsìde claro
Miscebis: quis non laudabit prælia tanta,
Prælia quæ faciunt indoctos arte peritos,
Laudo, Laudabunt alii si insistere cœptis
Perges. Victori donabit præmia virtus.

Hac Tibi Optime Amice Bravi

gratulationis loco scripsi

Jacobus Rehbürg

B. B.



Divina BRAVI dum legis noscere tentas
Naturam, prodis sedulitatis opus.
Sedulitatis opus prodis dum themate docto
Exponis quid sit Lex veneranda Dei,
Themata, quid quando doctâ defendere linguâ
Tentabis, prodes? Sedulitatis opus.
Perge juvante Deo, forti cœramina mente
Talia inire, feres præmia grata brevi:
Perge juvante Deo talem, præclara, laborem
Dona sequentur, Honos, Gloria, Divitiæ.

Amico suo amicissimo benevolentia ergo

hæc ponere voluit

Franciscus Ruel/ West.

Qui sibi famam statuit parandam
Marte permagno, capiti imminente
Se, suo exponit, vario & labori

Sæpe periculo

Qui sibi famam statuit parandam
Arte non tantum metuit periculum
Tutior multo sed erit, nec unquam

Laditur ense.

Hoc tibi ignotum fuit haud Amice,
Quippe qui tenuis gladium, locoq;
Illius librum manibus prehendis

Atq; recludis.

Rite! sic tetrum fugies periculum
Tela nec possunt mala te nocere,
Interim famam tamen, ac honestum
Nomen habebis

† Φιλίας ἐνεκα ἐγράψα.

Christophorus Wphoff



XXIII.

Tribuitur *Deo* prolongare dies parentibus, non ut principali, sed tanquam obiecto honorum operum suscepti præmium operis boni in suos auctores redundat. Similiter *Matth. 10. v. 41.*

XXIV.

Sic igitur *longinquitas dierum*, præmium est ad obedientiam conveniens. Qui enim in nomine DEI matrem honore debito prævenit; hunc gratuita DEI dignum facit, quem liberi deinceps & alij ætate juniori revereantur.

XXV.

Longavi autem, juxta promissionem Domini, illi sunt, quibus vita & longitudo dierum DEUS est. *Deus* quiq; quandocunq; moriuntur, satuti dierum moriuntur exemplum Patriarcharum *Gen. 25. v. 8. c. 35. v. 29. &c.*

XXVI.

Beatitudo, quæ connectitur cum longinquitate debet profundamento tranquillam conscientiam, cujus sum sola Fides est, & ex fide fluens amor DEI, & cum amore necessario coherens, observatio præceptorum ejus.

De Præcepto Quinto,

לֹא תרצח; Vitæ humanæ propugnaculum

XXVII.

Quintum præceptum præmunit vitam proximi, & prohibet unicam eamq; brevissimam propositionem, quæ inhibiti ve effusioni sanguinis humani, quæq; in universum ita rata sunt, ut in perditionem alterius vitæ propendeant.

XXVIII.

Referuntur hæc ad duo capita: Aut enim conatur effectus, ut vel ipsa vita homini eripiat, vel man corpus lædatur; Aut affectus interiores odium, ira, iniuria proximum irrupentes, effectum suppleant.

